DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE

OPII ATQUE VENÆSECTIONIS

EFFECTIBUS

IN

PUERPERAS

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE

OPII ATQUE VENÆSECTIONIS EFFECTIBUS

IN

PUERPERAS

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS BAYARD,

Anglo-Americanus, ex Nova Scotia.

" Phœbe fave! novus ingreditur tua templa sacerdos." TIBULLUS.

Octavo Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

1809.

SAMUELI V. BAYARD, A. B.

MILITARI PEDITUM PRÆFECTO,

AMANTI PATRI ET AMATO,

HAS PRIMITIAS

SUMMA CUM PIETATE

CONSECRAT

FILIUS.

GULIELMO COCHRAN, D. D.

REG. COLLEG. VIND.

APUD

NOVAM SCOTIAM,

DOCTISSIMO PROFESSORI ET DIGNO,

CUJUS SUB TUTELA DOCTRINÆ RADICES ACCEPIT,

MULTA PROPTER BENEFICIA IN EUM COLLATA,

NUNQUAM

OBLIVISCENDA,

HOS FRUCTUS QUALESCUNQUE

PIETATE ANIMOQUE GRATO

VULT

SACROS

DISCIPULUS.

GULIELMO JACOBO ALMON, M.D.

DE OLICANA

CHIRURGO MILITIÆ DOMESTICÆ PRINCIPI

HOCCE QUALECUNQUE OPUSCULUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

D. D. C. QUE,

ROBERTUS BAYARD,

NECNON,

JOANNI WATTS, A. B.

CUJUS AMICITIA ALIÆQUE VIRTUTES,

HOC TESTIMONIUM LUBENTISSIME OBLATUM

HABENT,

OMNIA PRECATUR FAUSTA,

AMICUS ET AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

OPII ATQUE VENAESECTIONIS

EFFECTIBUS

IN

PUERPERAS.

AUCTORE ROBERTO BAYARD.

Etsi nil novi a me repertum habere confiteor, quod huic libello pretium faciat, conscripto, uti legibus hujus almae academiae obediam, quae summos in medecina honores, privilegiaque petentem, tentamen hujusmodi poscunt. Pauca tamen disserere de re summi momenti, nimirum effectibus et usu sanguinis detracti atque opii puerpe-

ris adhibiti, haud alienum putavi. Sed priusquam fusiùs rem tractare aggrederer, fortasse non inutile sit, pauca, more prooemii, de his remediis loqui; quae ritè et cautè adhibita plurimùm valent, sed inconsultè ac temerè nocentissima sunt. De eorum tantâ vi praeditorum effectibus nihil non consideratè dici oportet; admodum auxilio esse, usu peritorum et solertium docemur; quorum auctoritate innixus, haecce eò liberius perscripsi, nec spes me fefellit. Historiam opii naturalem vel chemicam, jam fusius ab aliis traditam hìc proferre, non mihi in animo est. Contentus sum effectum narrare, de modo operandi nihil dictu satis dignum proferre possum, qua de causa tacebo. Haec remedia inconsultè ac sine discrimine data, nocere haud inficiandum est, et imperitis curantibus, periculosissima esse nemo non agnoscit, cui equidem consentio, sed pari ratione, multa alia medicamenta permagni aestimata damnare liceat.

Illiberale, et parum scientiae consentaneum est, alicujus remedii usum vituperare, propterea

quòd ejus abusus, ignaro praecipiente, malum intulerit. Opium atque phlebotomia, eorum adhibitione indicata, tam ad partum facilem et tempestivum reddendum, quam ad morbos subsequentes amovendos, mitigandos, aut eorum periculum praecavendum, admodum valent. Tincturae opii permagnae doses interdum datae, aliasqùe sanguinis missio primùm medico metum fortasse incuterent. Novitate praxeos perculsus, eam valdè mirari profiteor, doctissimùm artis professorem, Dr Hamilton, virum magno usu, et magna exercitatione insignem, rem publicè in ejus praelectiones referentem, audiens. Sed admiratio mihi ipsi, usu, salutarem effectum videnti, convaluit; tincturam opii post partum saepenumero cordi auxiliantem, causa vim vitae sublevandi; quae, si opium desit, ita ut evitari nequeat, obrueretur, administrare necesse est. Et posthàc exempla moestissima, in quibus eôdem paucas horas dilato; miserae exhaustae, nisui impares summam virium resolutionem expertae sunt cito emoriturae, proferrem, si opus iis sit.

Saepenumero in re dubia aut periculo instante non nisi summâ solertiâ praediti, et usu docti, opiumne prosit, comperimus.

Hîc memorem praelectionum Doctoris Hamilton animum gratum praestare mihi necesse est. Saepe cautè, ac simul largius his remediis utendum erit, opio, nimirùm, instante sanguinis profluvio, venaesectione, distentionibus nervorum urgentibus. In medicamentis dandis, eorum effectus in corpus integra valetudine, nec morbis male aegrotans, functionibus laesis, plerumque animadvertimus, cui forsan quodammodo causae, ineptas et perexiguas medelarum quantitates antehac admotas, atque admirationem curatione efficace, audace, nec deliberationem desiderante, excitatam tribuere nobis liceat.

Mortalium miseriae finem imponere, miserisque solatium praebere, medicorum optatissimae curae sit. Ut puerperas multum patientes et parturientes dolore gravi cruciatas, simul ac partum matris et infantis saluti conciliaret, omni

arte atque deliberatione, sese exercere medicum oportet, quô freta, suam infantisque salutem gravida imponit: his votis, aliqua ex parte, opio venaesectioneque cautè ac prudenter adhibitis, potiri saepe possumus. Mulieris constitutionis et rationis vivendi, inter haec utenda, ne immemores essemus, ac utriusque ratio habenda est.

Nam inter foeminas urbanas, nec cultûs, nec luxuriae insolitas, pernimium interest, atque his aliae aliaeque sunt constitutiones ac proprietates corporum. Illae, quae otio luxuque fruuntur, corpora nunc morbis magis obnoxia, quam robustae et laboris consuetae, habent; quô magis his voluptatibus pareant, eô post partum imbecilliora debilioraque corpora fiunt: his summa sunt irritabilitas ac resolutio virium. Haec igitur nos praxi moverent. Sed semper pro periculi ratione, tincturâ opii et sanguinis missione utendum est.

Si Germanos imitati, apud quos mulieres fibrarum rigidarum erant, omnibus, tempore

partus, gravidis, venam sine discrimine feriamus, fortasse talem rationem minus mali, quam contrariam, consequeretur. Non mirabimur tantum sanguinis tutò abstractum esse, si solitò majorem in corpore per graviditatem sanguinis rationem esse genitam, animo perpendamus : porro post infantem, placentam, cæteraque ad illum pertinentia in lucem edita, sanguinis summa copia defluit, fortasse critica ad inflammationem aliter secuturam præcavendam, habenda. Modum enim vivendi, quò gravidæ uti solent, perspicientes, atque functiones in corpore mutatas reminiscentes, statim plenitudinis (plethoræ) causam explicare possumus : hanc quantitatem auctam ad fœtum alendum existere fertur ; aliqua ex parte datum est : at sæpe hæc moles supra modum existit, pluria mala, exempli gratia, abortum genitura. Contra venæsectionis usum, in medium proferre liceat, quod, post partum, mulierum debilitas sanguinis missionem impedit, sed plerumque hæc debilitas partum consequi solet, atque ab incitatione corporis mentisque antecedente, non sanguine deficiente exo-

riri videtur ; quoniam inflammationes, illas mulieres post partum, a quibus parum aut nihilum sanguinis abstractum fuit, creberrime adoriuntur. Quoad hæc remedia, ubicumque tinctura opii noceret, sanguinis missione sæpe utendum erit.

Sed opio utendo objectum sit, quod a priori nescimus, an penitus, an pro tempore tantum, dolores partûs differret, atque ejus parum cautus vel intempestivus usus sæpissimè damnum, præsertim in partu protracto, intulit—ubi ideo forfice uti crebrò necesse est. Sed de hoc posthac dicendum est. Tincturam opii ad dolores partus differendos, quo vires reficiantur, atque ad resolvendum os uteri, partesque ei subjacentes ; obstetricantes administrant.

Tinctura opii hoc consilio duplici datur.

1mo, Ad vim vitæ sublevandum, animosque reficiendum.

2do, Ad dolores pro tempore sedandos, donec vires renovatæ sint.

De venaesectione, perpauca hoc loco, quæ adduntur, loquar. Usus simplex est, ea autem debilibus plerumque nocet, nisi supervenerint convulsiones, vel indicia his similia.

"ἐν πάσι ἡμέρα ἢ νυκτὸς ὥρα κρείας κατεπειγεύσης, "φλεβοτομήσεις *."

Venæsectione adhibitâ, consilium est

1mo, Partes relaxare,
2do, Symptomata infausta, exempli gratiâ, convulsiones prævertere.

Hæc pauca præfatus, partus conditionem, morbosque singulos, in quibus his remediis utimur, fusius enarrabo.

* Galeni de venaesectione fragmentum.

DE OPII ATQUE VENESÆCTIONIS EFFECTUBUS IN PARTUS PROTRACTOS.

Natura, suis viribus, in plerisque partubus fœtum feliciter ejicere potest. Non talibus opem artis interponendum est, hi fortunati sunt. Naturæ conandi defessæ atque ex quacunque causa impotenti, auxiliari oportet. In partu dilato, remedia tempestiva. e. g. Tinctura opii atque sanguinis detractio, perito obstetricante caute percipiente, plurimum valeant. Partus iste appellatur protractus, qui viginti quatuor horas, ab ore uteri primùm hiante, permanet. Sub hoc genere autem ordines tres collocati sunt, quorum de primo tantùm disserere meum est.

* Ordo Primus. Partus tardus atque dilatus, sed quo uteri contractio tandem fœtum expellere potest, &c.

* Prælect. Dr. Hamilton.

Mulieris historia, partus diuturnitate, viribus, effectu dolorum partus apparente, fœtus progressu situque, ac denique vaginæ, partiumque ei circumjacentium conditione, hunc ordinem cæteris discernere possumus.

Duplex in Partu vis est——

1ma, Propellens,

2da, Renitens.

Illa propellens ab utero, hæc renitens ab axi Pelveos uterique diversa exhibitæ sunt. Nisi viribus renitentibus, vis propellens auctior esset, partus laboriosus fiet——

Vires propellentes ab his causis imbecilliores sunt.

1mo, Partus doloribus deficientibus.

2do, Debilitate et cæteris.

In hoc loco symptomata propria opium vel venæsectionem postulantia narrabo——.

Etiamsi haec symptomata saepissime atque plerumque ab obstetricantis imperitia exoriantur, nihilominus ea praesentia tollere, et periculum quam maximè antevertere nostrum est. Ita, in pluribus partibus dilatis, remediis, quæ plerumque eosdem expedire solent, qualia sunt incisio venæ, partus dolores præter opinionem adaugeri possunt. Mulieris constitutioni ac viribus, de quibus ratio semper habenda esset, sanguinis missionem accommodare oportet. Aliquando eandem iterare necesse est, sed quantum sufficiat sanguinis primo abstrahere, e. g. unciarum sedecim aut viginti, satius erit. Hic venæsectio non solum partus dolores intentiores et crebriores reddit, sed insuper os uteri partesque externas solvit. Sed de hoc effectu pauca loquar, vim renitentem tractans, quæ augetur—

1mo, Partibus externis rigentibus, &c.

Naturalis partus primum stadium in statu quo permanere diutius quam horas decem vel quindecim, non licitum est, ac functionibus vel visce-

ribus vicinis laborantibus, opem nequaquam differre licebit. Rigor in primo stadio moras nectit, ad quem amovendum, venam secare iterum iterumque opus erit. In hoc stadio experientia sola, hunc rigorem oris uteri prædicere docet. Hic opiata non danda sunt, ni signa indicarent sanguinis missionem nocituram—Opiata non in ventriculum sumenda, sed in alvum infundenda sunt.

Vim renitentem intra os uteri ecchymosin recte nominat Clarke. Fibrarum rigidarum fascicula intra os uteri, pollicem vel sesquipollicem ei distans, ecchymosin facit; quam causam, motum sanguinis scilicet impeditum, sanguinis effusio consequitur. Ecchymosi instante, sanguis uberius est mittendus.

Sæpissimè in partûs naturalis stadio secundo membranæ, vel casu, vel obstetricantis mala administratione, præmaturè diruptæ sunt: partus doloribus idcircò fœtum expellere nihilum valentibus, quod heu! saepius contingit, ferra-

mentis chirurgicis ad opem dandam opus est, sed malum antecapere ac ei prævertere, copiosâ venæsectione tanto melius erit. Quoad quantitatem abstrahendam, muliere robustâ, ac sanguine plenâ, missionem ad unciarum viginti, vel viginti quatuor facere optimum erit. Ad partes relaxandas, hæc venæsectio, fere præter spem, multum pollet. Ab mulieribus teneris, minus sanguinis abstrahere satius erit. Si de venæsectione, mora sit, ac mala partus dilati urgeant, plurimum sanguinis, uncias viginti octo vel triginta detrahere licebit.

In rigorem ab impedimento locali, exorientem,

℞. Tinct. Opii ʒi.
Mucilag. gummi arabici ʒiij. vel iv.

hoc in alvum infundendum est. Si sit naturalis rigor, *usque ad nauseam*, sanguinem amittere, constitutione mulieris non obstante, tanto melius est, quoniam nausea ipsa effectum optimum habet.

DE OPII AD FOETUM IN UTERO VERTENDUM, USU.

In istis partubus, ad utriusque salutem, matris et fœtus, quibus hujus situs mutandus, et ipse pedibus extrahendus sit, opio paulò ante adhibito exitus secundus magnopere nititur.

Fœtum circumvertere autem liceat,

1mo. Ante membranas diruptas.
2do. Post liquoris amnii defluxionem.

Obstetricante ante membranas diruptas, arcessito, minus discriminis nisubus instare feliciter factum est: sed liquore amnii effuso, conatus periculosissimus redditur—hìc plerumque fœtûs progressui oppugnat spasmus, quem constantem, viribus non fractis, venæsectione resolvimus: sed, ubi huc ventum sit, vires maxime imminuuntur, nec sanguinis detractionem sinentes, quà

propter balneum tepidum, tepidaque olea injicienda ad sublevandum, commendata sunt, sed hæc incerta sunt auxilia, imo fortasse hæmorrhagiæ faventia. Tincturæ opii guttæ septuaginta, imò etiam octoginta, medicamentum est jure maximi habendum. Talis modus fortasse nos metu percuteret, sed corporis virium jam ad modum fractarum memores esse oportet. Interdum centum ac quinquaginta guttæ exitu felici datæ sunt. Præclara, quam experiri solebat Lowder, fœtum vertendi ratio, Tinctura opii largius adhibita fuit. Hæmorrhagia tantis quantitatibus laudani supervenisse fertur. Sed hanc affirmationem usus refellit. Fœtum non vertendum esse opio denegato, statuit Hamilton. Tinctura opii ad guttas octoginta, vel pro re nata, adhibita, effectum semihorâ post habet. Nos, hac mora interposita, manum lubricatam, infante suam circa axem verso, secundum artem, in uterum, ita ut non rumpatur, introducimus.

DE OPII EFFECTU IN HAEMORRHAGIA POST INFANTIS SECUNDINUMQUE PARTUM.

Haemorrhagia partum saepissime consequitur, ac periculi instantis plena est, ni ad eam cohibendam praesentia et valida auxilia in promptu essent. Haec symptomata, tinnitus aurium, pulsus debilis ac fluctuans, vultus pallidus, deliquium animi, visus pravatus, adeo ut res oculis objectae circumvolvi videantur, delirium, &c. haemorrhagiam instantem indicant. Medicum abdomine tacto, certiorem fieri oportet, tumeatne uterus et sanguine impleatur. Nunc temporis mora, mala gravissima gignit, propterea quod, quanto magis tumefactus sit uterus, tanto magis sanguinis amittitur. Vasa enim, quae antea in uteri carnem, se contraxerant, nunc ora aperta habent; hoc modo brevi multum sanguinis defluit, atque vitae fontes quasi celeriter exhaurientur, ni prompti, auxiliis praesentibus et

valentioribus uteremur. Si intra vaginam coagula sint manum introducere, usque ad uteri fundum non solum, ut haec auferantur, sed etiam ut uterus inde ad contractionem cieatur, necessè est. Si ineptus esset conatus, res vere multùm deploranda est. Ac mulieri minitantur omnia mortem. Si facultatem sese contrahendi minimam habeat, nec manu admota, dato stimulo subserviat uterus, rei immanitatis immemores, abdomen nudatum aqua frigida summo impulsu, vel ex alto, affundere, et interea manum intra uterum ad eum in contractionem incitandum retinere nos oportet. Haec curatio plerumque sanguinis profluvium coercet. At crebrius post haec acta, bis terve revertitur. Sed ut statim redivit, aquae affusio, ut supra, repetenda, et abdomen, ut semper, comprimendum. Post sanguinem tam copiose amissum, infanti ubera admovere, matri non liceat, ne ipsi superveniat marasmus. Aquae affusione ac curatione jam dicta saepe usus est Hamiltonus, nec mala, *e. g.* rheumatismus, catarrhusve, ut a priori videretur, haec excepêre. Sed in haemorrhagia, periculi

minore urgente, post uterum, manu introductâ, contractum, lintea aceto, vel satius muriâ humectata imo abdomini applicari jubeamus.

His factis, opiatum, sine quo vita saepiùs amitteretur, tam ad contractionem certiorem reddendum, quam vires vitae sustentandas, administrare debemus. Opiato praetermisso, eheu crebrius propter debilitatem, miserae multa mala ac interdum mors ipsa imminent.

Dosis laudani pro ratione periculi habenda est. Interdum guttae centum ac quinquaginta primo in usu sunt. Interdum grana quinque imprimis administrare, et posthac granorum tria in horas tres, donec mulier ultra periculum vivat ac valeat, necesse fuit.

Egomet mulieri sanguinem ubertim amittenti, placentâ retentâ, ac quodammodo adhaerente, tincturae opii guttas nonaginta, exitu felici dedi, priusquam manum intra uterum, causâ placentam extricandi, introduxi, atque post eam

extractam et haemorrhagiam coercitam, iterum guttas triginta adhibui. Solatio benigno fruita est mulier, et noctu benè ac quietè dormivit; pulsus etsi debilis, tamen regularis erat; atque liberè lenitèrque spiravit, noctem totam. Alteram mali accessionem veritus, cum ea permansi, somno per horas octo conciliato refecta experrecta est, et vegeta.

Frigidae cum opio injectiones per anum saepe prosunt. Necessitas sola aquae frigidae affusionem medendi rationem humanitati parum consentaneam, in abdomen nudatum auctoritate munivit, sine quâ vita ipsa sanguini effluente cederet; ideoque ad vitam conservandam nil spem allaturum inexploratum praetermittamus.

Haemorrhagia circa diem decimum occurrens, post partum, debilitate uteri plerumque exoritur; hic solutionem sulphatis aluminae injicere, abdomen comprimere, opiatumque adhibere, ratione de viribus habita, satis est.

De haemorrhagia fusius disserui, quippe nequaquam rara sit, atque idcirco res est idonea, de qua commodè quaeratur; nam ex nulla re, majorem molestiam, quam ex muliere usque ad mortem, sanguinem sine cura amittente, suscipere obstetricans potest, qui etiamsi nil imperite faceret, et nullius officii sibi proprii pratermissi conscius esset, tamen posthac suam inscitiam, vel saltèm ad curandum, impotentiam facile culparet. Mulierem, sanguine misso, in partum obeuntem conspicientes, horrore percutimur; hic animum recipere, atque omnia spem offerentia persequi oportet. Sed plerumque aqua frigida ex alto affusa, cum ex opio paratis, profluvium sanguinis aliter in mortem desiturum cohibet. Fine haemorrhagiae imposito, oportet cum muliere adhuc medicus permaneat, ne sanguinis profluvium rediret, quod recidivum, eheu saepius! subsidio non praesente, miseram morte praematura obruit.

De tinctura opii utenda, ne immemores simus, quod inter tincturas Edin. ac Londin. Pharm. plurimum, quoad eorum vires, interest.

DE VENAESECTIONIS EFFECTU IN CONVULSIONIBUS.

Convulsiones interdum in graviditatem, partum antecedentes aut subsequentes occurrunt; haec signa, visus depravatus ac imminutus, rigores in partûs stadio secundo, somnus gravior, pulsus tardus, capitis dolor, ac interdum delirium mite nempe debilitatis proprium, convulsiones superventuras monstrant; hi motus convulsivi gravissimi sunt; musculi faciei proprie laborant, oculi sursum voluti, fixi, intentique sunt; interdum sensus praesertim auditûs magnopere acuitur. Paroxysmi modo temporis momentum, modo diutius durant; hi valde pertimendi sunt;

propterea quod paroxysmus unus, utero vel vase intra cerebrum rupto, lethifer sit. In his venaesectio copiosa permultum valet. Sed convulsionibus urgentibus, dum per vias infans progreditur, solam salutem partus acceleratus infert, sed sine morâ venaesectio ad sublevandum petenda est, nec multum sanguinis abstractum nos terrere debet. Uncias quadraginta abstrahere nos jussit Hamiltonus, qui in praelectionibus perhibet, se post annum 1790 unicam solammodo aegram ex convulsionibus mortuam, seipso serius ad venam secandam arcessito, vidisse. Venam jugularem ferire satius est, sed consuetudine medicorum huic aversante, sanguis e brachio detrahitur, cuneolo primum in os positô, ne mulier summam linguam, quod interdum evenit, morderet. Venaesectione petita, mulieri parturienti opem ferre, ac partum quam primum rite perficere nostrum est. Ad hoc, embryulcia interdum, ut matrem conservemus, necessaria est.

Crines capitis abrasi atque camphorae magnae doses utpote subsidia, nobis utiliter dandae sint.

Mentionem non perfectam vel plenam feci de usu opii atque venaesectionis, medicamentorum magni recte habitorum, quae, in partum, haemorrhagiam, atque convulsiones administranda sunt: nunc morbos partum sequentes, in quos haec remedia maxime valent, narrabo; sed hìc praefari meum est, de morbis singulis largiùs ac speciatìm me dicturum esse, de natura et curatione omnium; causis praetermissis, ne dissertationis fines idoneos transirem; de causis praesertim taceo nil novi dictu satis dignum habens.

Si consideremus, quae sit, mulierum post partum conditio, non mirandum videbitur, eas negligentia saepius succumbere morbis, ac etsi a morbo quodam, si eas puerperas medicus antè imperitè curasset, immunes perpaucae evadere possunt, tamen mulieres superiori genere ortae,

ac vitae otio fruentes, morborum accessioni, propter proprium vivendi modum, magis obnoxiae fiunt; praesertim partûs dolores jam expertae, unde corpora debilitantur, mentesque turbantur.

Praeterea post partum corporis functiones quadammodo mutantur. Uterus tum contrahitur; abdominis parietes antea valde distenti, nunc solutiores fiunt: partes externae solito crassiores ac quadammodo tumefactae, inflammationis speciem ferunt; post haec lochia fluunt; mammae lacte distenduntur; humorum determinatio mutatur, corpus commovens et perturbans. Vasa lymphatica emunctoresque ad uterum in compendium pristinum redigendum versantur. Secretiones novae fiunt; corpus quodammodo solitis moribus desuescit. Mulier debilitate fere resolvitur. Corpus proclive ad impetum morborum existit, qui, muliere posthabita neglectaque eam adoriuntur. Vires medicatrices naturae saepe ita defessae sunt, ut artis auxilio eis opus esset. Sed se prudentem cautumque gerere ob-

stetricantem oportet, quoniam in vitio est nimium perindè atque parum aut nil curare; naturae quamvis debili, quae in corpore, suo officio proprio fungitur, non oppugnare licet, sed ejus consilia promovere, ac conatubus favere nostrum est; quod ni fecerimus, noxa oriri possit, quam posthàc semper lugebimus.

DE OPII EFFECTU POST PARTUM.

Muliere exhaustâ, aliquid ad vires reficiandas et vim vitae sublevandam, praesertim si partus gravis et difficilis esset, administrandum est. Hìc modus tincturae opii consuetus, vel pro re natâ, quietem conciliabit, sed hanc prae summâ irritabilitate ventriculus retinere saepe nequit. Si ita eveniat, camphorae idoneam dosin damus; quae, si dolores post partum urgeant, tincturae

opii est addenda. Sed forma julapii, camphoram adhibere praestat.

℞ Camph. ℈ij. vel ʒss. vel ʒj.
Carbon. Magnes. ʒj.
Syr. quant. suffic.

Hoc injiciendum est in phialam octo unciarum capacem, singulis dosibus; ut gratius esset remedium, adde aquae calidae quantum sufficiat.

Hoc, vel satius, opiatum sumptum, multum boni consequitur. Mulier somno, membra quiete favente, fruitur, et experrecta vires renovatas habet. Sed, nî opus esset, laudanum in singulas noctes non adhibendum est, propterea quod novae secretiones, lac nimirùm, exinde pati possent.

Animae defectiones post partum, dolore atque debilitate orientes, opium, aliudve incitans, aut camphoram postulat.

DE OPII EFFECTU IN DOLORIBUS POST PARTUM.

Hi non perrari sunt. Ab his aliquae mulieres post partum primum immunes evadunt, sed plerumque, ac forsan semper, post partus crebros valde urgent. Uteri contractioni debiliori et imperfectae, eorum frequentia fortasse tribuenda est. Nunc enim uterus non tam facile stimulis solitis quàm anteà excitatur. Dolores post partum ab uteri contractione et quiete brevi alternis vicibus interpositâ exoriuntur. Quietis intervallum dolores excipiens propriè hanc insignit valetudinem—hoc igitur signo hi dolores ab uteri inflammatione vel viscerum vicinorum malis discernuntur; illis instantibus respiratio nihilum laborat, dolores non perpetui, nec tactu, nec compressione intenduntur, horas quadraginta et octo plerumque durant—saepe, matre lactante, redituri, angorem pro tempore, sed nequaquam periculum inferunt.

Mulieri ita quiete captae, auxilio opus est. Sanatio, uteri idoneâ perfectâque contractione nititur. Sed in uterum manus non introducenda est ad contractionem ciendam, nè partium inflammatio, quae quodammodò in pristinam molem jam rediguntur, superveniret—Opio igitur et abdominis compressione utendum est. Guttae triginta quinque plerumque sufficiunt, hora somni, vel doloribus saevientibus assumptae—Si opium, ut interdum evenit, nauseam excitet, et rejiciatur, in anum injiciendum est.

Causa auxiliandi asam fœtidam vel tincturam hyoscyami, si opus sit, damus.

DE VENÆSECTIONIS EFFECTU IN PNEUMONIA *.

Pneumonia ab muliere neglecta atque ejus causis solitis oriens, saepe puerperas aggreditur. Duo stadia sunt, quibus curationes diversae con-

* De defin. vide Cullen. Nosolog. synop.

veniunt. Morbo incipiente largissimè venaesectione uti satius est—alvo simul laxa tenenda, ac hirudinibus applicatis. Emplastrum meloës vesicatorii lateri admotum in hoc morbo puerperas aggrediente, magis valet, quam in eodem morbo viros aggrediente, sic inquit * Hamilton. Si morbo progrediente, venam feriamus, tum deìn noceret; guttae decem tincturae digitalis saturatae, singulis semihoris assumptae, summam opem pollicentur—haec planta facit, ut arteriae multo tardius moveantur, hae enim antea centies et quadragies, sexagesima quâque horae parte micantes, protinus, eâ acceptâ, non amplius interdum centies et octies attollantur.

DE OPII EFFECTU IN VENTRICULI SPASMO.

Intra dies septemdecim post partum, hic morbus periculosissimus plerumque aggreditur,

† In ejus Prælect.

etiamsi tempus, quo incipit, aliud aliàs sit. Interdum tertia post partum hebdomadâ supervenit, maximo periculo plenus. Nam intra horas tres, ab initio saepe occidit, nisi in limine ad eum amovendum modis idoneis valentibusque praestò simus. Spasmo praesente ac dolore maximo cruciante tincturae opii septuaginta vel octoginta guttas statim recipi, ac calefactos pannos laneos ventriculo applicari necesse est: hic morbus frequenter *septi transversi* spasmi speciem habet. Facies Hippocratica saepe subest, quâ praesente dosin laudani augere, ac guttas centum et quinquaginta dare nos valde oportet. Valerianae officinalis magnae quantitates, periculo graviore urgente, summo fructu administrandae sunt; ac etsi diutissime pulsus non plane distinguendus sit, tamen mulier saepe convaluit, quae interdum a doloribus putris aëris eructationibus sursum ac deorsum, liberata est. Dolores, cum ita sint, tanto magis miseram ac graviter tortam mulierem, nostrum interest.

DE VENAESECTIONIS EFFECTU IN UTERI INFLAMMATIONE.

Uteri inflammatio feliciter rarissima est—sed plerùmque circiter diem quintum pòst partum inire solet; caeterùm post dies quatuordecim aliquandò accessit. Haec sunt symptomata, dolor uteri, lochia repressa et retenta, urina difficilis, rigores, nausea, vomitus; ita uteri inflammationem definit CULLEN. "Pyrexia, hypogastrii calor, tensio, tumor et dolor, os uteri tactu dolens; vomitus." Sed in hoc morbo manum introducere non licet. Abdominis dolor tactu augetur. Hic morbus, neglectus, fines caeteris inflammationibus similes trahit. Morbus incipiens veluti rubra Lochia suppressa, curandus est. Venaesectionem, at parcam, ineunte malo et jam accedente solummodò adhibemus. Sed de sanguinis missione copiosa, cautos esse nos oportet, ne eâ liberalitèr

usi, debilitatem secuturam graviorem reddamus. Hirudines in inguinis regionem collocatate, interdùm auxilium inferunt. Vires, cinchonâ datâ, reficiendae, fomenta ac medicamenta ex antimonio parata, diaphoresin excitando saepe prosunt.

DE OPIO ATQUE VENÆSECTIONE IN FEBRE PUERPERARUM *

De hujus morbi natura causisque pleniùs ac fusiùs loqui, fines huic dissertationi nunc ferè finitae, concessos transirèt; morbo latissimè ab auctoribus peritis jam pridèm tractato, opii venaesectionisque effectum modò monstrare conabor. Mira infelicitas hujus morbi, plerumque perpetua indivulsaque comes, eum medicis pertimescendum ac puerperis infestissimum reddidit. Quicquid de cura profero, non meum est, et si quid novi esset, grates Doctori HAMILTON persolvendae sunt.

* De hoc morbo, vide Hulme on Puerper. fev. Leake, Wolcomb, Walsh, Morgagn art: Pneum. Kirkland, Clarke. Dr C. Smith on fumigation, &c.

Forsàn perpauci morbi, medicorum conatus, plusquam febris puerperarum fefellerunt, ac de quorum curationibus causisque tantum inter medicos interest.

Febris puerperarum rarò ante horas viginti quatuor elapsas aut post dies quatuor vel quinque accedit. Sub forma diversa, apud nosocomia atque familias exstat. Haec symptomata synochus, in supercilia dolor, deinde abdominis totius dolor obtusus, tactu, vel stragulorum vel musculorum abdominis oppressione auctus, morbum ostendunt; primò dolor inaequalis est, nec abdomen multùm intenditur aut tumet. Facies rubescit; animi demissio ac spei abjectio ingravescunt. Pulsus sensum proprium digito admoto impertit. Lingua aliàs est alia, modò madida, modò arida et adusta; lactis secretio cessat, sed nihil putredinis urget. Si lactis secretio nondum incoeperit, nunc tandem non speranda est. Mulier, tanquam site fere enecta, tamen eam potionibus compescere nonvult, nunc vigiliâ torquetur. Urina variat, frigida, modo lim-

pida est, modo rubescit, ac interdùm sedimentum cortici peruviano simile habet. Alvus plerumque astricta est; iterùm diarrhoea urget, colore nigro cerevisiae spumae similia stercora habens. Semirespirat mulier, ne inspiratione integra, abdominis dolorem augeret. Diarrhoea pro tempore vel paucas horas requiem pollicetur; at post haec, ingravescunt symptomata. Pulsus horae sexagesimâ quâque parte saepe 130 pulsat. Vultus magìs magìsque dejicitur, spe ferè penitùs amissâ—Alvus praeter voluntatem dimittitur; partes externae denique frigescunt, ac circiter diem quartum quintumve miseriis finem imponit mors—Haec plerumque morbi in nosocomio accidentis species est. Sed in domo propriâ, lactare vel questiones respondere, aegra nonvult. Animus planè labescit. Abdomen tactu dolet. Supra oculos angor urget. Dentes sordè plerumque obducuntur, et circiter diem decimum, duodecimum, vel decimum tertium ad exitum lethalem morbus perducitur. Mors, hujus morbi in domo propria evenientis, nequaquàm tam saepè infestissima comes est, quàm

morbi, in nosocomio occurentis. Saepe in domo propria, Diarrhoea vel Diaphoresis criticae contingunt. Symptomata, hunc morbum ab uteri inflammatione, vel doloribus post partum, vel febre lactantium, vel colica flatulentâ satis distinguunt. Pulsus augurium praebet futuri. Si pulsus post crisin tardior sit, faustum est, ac vice versâ.

De morbo curando. Morbo in nosocomio grassante, imprimìs conclave purificare necesse est.

Haec, morbo in domo propria accidente, praecipienda.

1*mo*, Viribus succurrendum est: hoc per paucos dies facto, mulieri salutem reducendam esse opinatur Dr Hamilton. Propter debilem ventriculi conditionem, cinchonam per os ac in materia, adhibere aegra non potest; ejus idcirco per anum injicere, quam plurimum, necesse est. Magnae etheris sulphurici doses atque ammo-

niae, cum medicamentis aliis stimulantibus sine effectu optata datae sunt.

Quaere *, Nonne magnae opii doses, sive tincturae sive ejus solidi prodessent, postquam indicatio secunda (quam infra vide) expleta sit, vel etiam antehac, quoniam vires renovare permagni refert? Si ventriculus tincturam rejiceret, opium solidum aut illam in anum infundi jubeamus.

2do, Localis inflammatio sedanda est; ad hoc fomentis et enematibus, donec medicamenta salina per os adhibita effectum habeant, uti debemus. Emetica, cum sit serius ad fomenta utenda, data sunt; sed forsan magis valeant embrocationes ac vesicatoria. Tincturae digitalis purpureae guttae decem singulis semihoris, vel omni horâ, donec urinam copiosam excitavisset, saepe prosunt; nunc temporis speciatìm viribus suppeditandis operam dare debemus.

* Hunc quest. fac. Hamilton.

Injectionibus ex nicotiana tabaco, aliqui usi sunt; sed in his parum vel fidei nihilum reponere possumus.

3tio, Symptomata infausta infestaque praevertere. Hìc ab aliquibus venaesectio adhibita est; de hac ita inquit DENMAN. "In the "early part of my own practice, I had much "doubt of the propriety of bleeding indiscri- "minately for the cure of this disease, and I "was long of opinion that it was not the most "natural, safe, or effectual remedy. I consi- "dered that spontaneous haemorrhagies were "seldom critical in this disease. I suspected "that women in child-bed sustained bleeding "worse, than in almost any other situation, and "from some defect in the remedy, or some er- "ror in the application, I often found myself "disappointed in my hopes and expectations, "when I relied upon it. It seemed also an ob- "servation of importance, that those women, "who had lost much blood at the time of deli- "very were more liable to this disease, and

" that it was more commonly fatal to them. " The consequences also of erring by the too " free use of the lancet, seemed more to be " dreaded, because they were harder to be re- " paired, than those which might arise from an " opposite conduct.

" But I am now convinced by manifold ex- " perience that my reasoning was fallacious, and " my fears groundless, and that what I had con- " sidered as proofs of the insufficiency, or im- " propriety of bleeding in the *true inflamma-* " *tory* puerperal fever ought in reality to have " been attributed to the neglect of performing " it, in an effectual manner, at the very begin- " ning of the disease. In short, if the *first* " stage be suffered to pass unheeded, bleeding " will certainly *then* be injurious, the opportu- " nity having been lost, and the physician after- " wards called in, however great his talents " may be, will too often have the mortification " of being a spectator of mischief, which he

" cannot then remedy, and of an event which " he can only deplore."

Sed inter Doctores DENMAN et HAMILTON de venaesectionis usu in hoc morbo, plurimi interest. Inquit Doctor HAMILTON, se vidisse venaesectionem in morbi stadio fere omni adhibitam, sed postea mulierem nunquam convaluisse se ipso curante, quinetiàm ita ait: " I " consider bleeding as the death-warrant of the " patient *." Nausea, alvi astrictio ac vigiliae nobis quam maximè avertendae sunt. Si nausea a principio urgeat, emeticum, si absit haec, catharticum administrari oportet. Alvum leniter solutam clystere servare, posthac haustum anodynum adhibere, abdomen fomentis fovere, viribus, vino continenter dato, succurrere nostrum est. Iterum alvum ducimus, et omni vespere, horâ somni opiatum dare, ac si dolor adsit, fomenta repetere debemus.

* In Praelect.

Ita, at imperfectè de hoc morbo infestissimo pauca locutus sum, simul imperitiae mihi conscius. Sed quanquam Doctorem Denman maximi semper feci, ac me plerumque, ejus sententiae esse, nunquam poenitebat, viri peritissimi ingeniique, tamen, si, sententiam habere mihi liceat ac forsàn ac rectè non; Doctori Hamilton de hujus cura morbi, assentirem, et hac de causa, ratio medendi ab illo exposita, indicari a morbi natura videtur. Venaesectio enim, majorem debilitatem, muliere jampridem ac nimis viribus exhausta, creat. Si ad temperanda inflammationis symptomata, quae praecipuè localis est, sanguinis detractio necesse sit, nonne hirudines inguini aut abdomini admotae, effectum aequè efficacem, ac saltem tutiorem haberent; atque post haec regimen corroborans, ac vires suppeditans? Parva enim sanguinis detracta quantitas, etsi ad imminuendam partis inflammationem satis valeat, nihilominus debilitatem universam non gigneret.

DE VENAESECTIONIS EFFECTU IN PHRENITIDE.

Hic morbus ab maniâ propriis signis facilè distinguitur; in hâc signa scrutari incipientia summi momenti est, nam his curandis, morbum in limine coërcere nobis liceat. Mulier brevi invigilat, ac si ab illâ de morbo quaeratur, respondet, se nil aegrotare. Naturale est abdomen, ac lochia, ut solebant, fluunt, cutis calefacta fit, pulsus ad centum vel amplius concitatur. Oculorum propriam velocitatem, ac motûs celeritatem habet, praeproperè et sine norma loquitur, aliqua ex parte lucis impatiens fit, his signis non bene curatis, paulo post, de sonis ac luce queri caepit, hoc etiam neglecto, intra horas quadraginta octo supervenit delirium furiosum, sub forma somnii accedit morbus. Lecto mulierem continere sine vi non possumus, in eos juxta se sedentes inspuit, oculorum pupillae dilatantur, nihil effectûs nunc ex luce vel sono oritur. Pulsus 130 vel

140 duritèr pulsat. Vultus solitam speciem adhuc retinet, alvus, ut fit, regularis est. Mens disjuncta et rationis impotens fit, hoc ferè certissimum est mali indicium. Haec signa, unum, duos, vel tres dies manent, his dein subitò cessantibus, partes extremae paulo ante exitum fatalem, sudore viscido humectantur, oculi muco perstringuntur, vomitus choavae faecibus similis adest, facies attenuatur. Respiratio laborat. Frigescunt partes extremae. Subsultus tendinum consequitur, ac morte circiter diem quintum finitur morbus. Tempus aggrediendi, et mens disjuncta ac turbata, hunc a maniâ distinguunt; in phrenitide aegram minis nequaquam deterrere, quae non, ut in mania, cibos invita sumit, possumus; haec interdum serius quam post diem secundam accedit. Phrenitidem in limine modis promptis coërcere possumus; sed postquam malum radices habeat altiores, insanabile ullis auxiliis existit, sed citò ad finem lethalem spectat. Delirium nunquam nisi post partum, morbus idiopathicus evenit. Graviditas ei obnoxium corpus parat, nec nobis animo partus phaenome-

na pendentibus, hoc mirabile vel praeter opinionem videtur. Morbus, nisi eum incipientem cohibeamus, conatus fallat subsequentes; sanguinem vel a brachio, vel vena jugulari detrahere saepe necesse est. Camphora atque nitras potassae ab aliquibus adhibita sunt. Regimen antiphlogisticum experiri aegram oportet. Morbi progressum intentiùs scrutari debemus. Cathartica acriora multum prosunt. Digitalis administrata est.

Ad effectus opii salutares in haemorrhagiam coercendo, illustrandos, exemplum subsequens, ad me, ab amico qui id curaverat, missum subscribo.

CASE.

DECEMBER, 29th, 1807.

Mrs L. in Libberton's Wynd, was delivered at the seventh month of pregnancy. There was haemorrhage, from an attachment of the placenta over the os uteri, which had occurred at intervals for a month past, during which she lost a great quantity of blood, whereby she was much exhausted, and at length affected with the following symptoms, nausea, vomiting and excessive thirst, vertigo, coldness of the extremities, weak fluttering, and intermitting pulse, shivering, great restlessness, and irritability of temper. About eight o'clock, P. M. she got 80 dr. tinct. opii, at ten o'clock, 120 dr. more, at twelve o'clock, 60 dr., and after the completion

of the delivery, which was effected by turning, at two o'clock, 80 dr. were again given; at five o'clock she took an additional 50 dr., making in all 390 dr. in nine hours; besides this quantity she got at noon, 40 dr. and at night 50 dr. and the two following nights, 40 dr. each, total 560 dr.; she sat up a little, in a few days subsequent to her delivery, since which she has not been affected with any symptom of disorder, except a slight degree of head-ache and constipation, with some cough, which have entirely been removed by suitable applications; her pulse is now below 100, soft, and of moderate fulness.

FINIS.

EXCUDEBAT C. STEWART.